DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

DOLORE DENTIUM.

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. GODEFRIDI BIDLOO, Med. Doct. Anat. & Colleg.Pract. in Acad. Lugd. Bat. Professſ. Ordin. ut & Colleg. Chir. ejuſd. civit. Præſidis,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in Medicina Honoribus ; & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publice ventilandam proponit

ADRIANUS VAN DOBBE, Roterod.-Batav.

Ad Diem 11. *Auguſti N. S. hora locoque ſolitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. MDC XCVI.

Fratri Germano unico & Optimo,

D. HENRICO van DOBBE, Mercatori apud Roterodamenses Spectatissimo.

D. PAULO WIBBERT, J. U. D. Consultissimo, Affini Dilectissimo.

D. GODEFRIDO BIDLOO, Med. Doct. Anat. & Colleg. Pract. in Acad. Lugd. Batav. Profess. ut & Coll. Chirurg. ejusdem civitatis Præsidi; hoc tempore, Rectori Magnifico dignissimo, studiorum meorum fundatori, fautori, & jam promotori fidelissimo, propter innumera in me collata beneficia, in sæcula honorando.

D. JOHANNI BROEN, Med. Doct. experientissimo, ejusdemque facultatis in Academia Lugduno-Batava Prælectori publico meritissimo.


Disputationem hanc inauguralem

D. D. D.

A. V. DOBBE,

Auct. & Resp.





DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

DOLORE DENTIUM.

PRÆLOQUIUM.

Ipſe ego, qui crudeliſſimam ſæpenumerò ſum expertus Odontalgiam, quique ſatis, meo malo, didici, quanto illa artis noſtræ Principes habeat ludibrio, ſiquidem, frequentiùs anilibus, ſuperſtitioſis, vilibus atque vulgaribus, quàm exquiſitis, delectis, &, ut alibi vocant, Canonicis, ſubigi ſe patitur remediis, ille, inquam, ego ejus imaginem, in diſputatione hac inaugurali, delineare decrevi; haud verò quaquam eô animô, ut in hac materia excellere, rem acu tangere, aut eximium quid & numeris abſolutum in ſcenam producere velle videar, ſcio enim, quam ſit mihi curta ſuppellex, ſed unicè, ut laudabili conſuetudini Academicæ obtemperem; æquum ergo erit, Lector Candide, ut conatibus hiſce noſtris faveas, dum ego Deo Opt. Max. *ſupplico, ut omnia cedant in nominis ſui gloriam, proximique commodum.*

§. I.

Dolorem, ſive majorem ſive minorem, omnis Odontalgiæ, individuum eſſe & urgens ſymptoma, palam eſſe puto; dolor vero omnis, cum includat perceptionem quandam & conſcientiam, omniſque perceptio & conſcientia cogitationem, cogitatio vero nulli corpori competere poſſit, ſed ſoli menti propria ſit, patet, meo judicio, clarè, quod nulla pars corporis dolere propriè dicenda ſit, adeoque nullus ſit dolor dentium; ſtatuendum ergò potius eſt (niſi forte cum imperito vulgo quis loqui mallet; juxta tritum illud, *loquendum eſſe, ut vulgus loquitur, ſentiendum ut ſapientes ſentiunt*) mentem ope partium corporis percipere, ſive, quod idem eſt, ſentire, adeoque etiam dolere; ſcilicet, quoniam illa Organico corpori immediate à Deo eſt unita, idcirco paſſionibus variis afficitur, tendentibus, vel ad lætitiam & tranquillitatem, quamdiu partes totius permanent in ſtatu ſuo conſueto, ſive naturali, aut ſaltem nonniſi blandè afficiuntur; vel ad triſtitiam & inquietudinem, quamprimum partes extra ſtatum conſuetum, ſive naturalem deducuntur, ſive læduntur & mutantur, hoc eſt, juxta Veteres, ſolutionem continui patiuntur, confer *Nobiliſſim. Deſcartes princ. part.* 1. §. 45., 66, 67. *nec non* §. 41. *circa finem.* Notandum autem hic eſt obiter, quod, quamvis omnis dolor includat triſtem mentis perceptionem, non tamen procedat hæc reciprocatio, ergo omnis triſtis perceptio eſt dolor, non enim, niſi admodum impropriè quis id dicere poſſet; ita nempe odium, ira, invidia &c. ſunt equidem ſingulæ triſtes quædam perceptiones, non autem totidem dicuntur dolores: quapropter neceſſum erit ut dolorem ita medicè reſtringamus, ut ſit *triſtis illa perceptio, quæ dependet unice vel á periculo ruptionis, vel actuali ruptione fibrillarum nervoſarum, membranoſarum & tendinoſarum* (ſunt enim hæ omnes, ſpiritibus, ſive ſubtiliſſimis corporis noſtri humoribus cinctæ & tenſæ, principalia ſenſus inſtrumenta) *partibus vulgo dictis ſenſitivis diſtributarum:* in ſpecie porrò dolor multifariam definiendus eſt, non ſolum pro varietate cauſarum lædentium, ratione quantitatis & qualitatis; verum etiam pro varietate ſtructuræ partis iſtius quæ patitur; ita, alius dolor eſt acutus, alius obtuſus, fixus, vagus, pulſatilis, & quidem non uno

eodem

eodemque modo in ſingulis. Prius autem, quam ad Odontalgiam propius accedo, è re fore exiſtimo, de dentibus nonnulla, tam in genere, quam in ſpecie, item de maxillis & gingivis prælibare, ſic enim (ut puto) ſymptomatum omnium glomeramen facilius multo extricabitur.

§. 2.

Dentes itaque, quaſi edentes dicti, propterea quod comeſtionis operam abſolvant, conſtant ex ſubſtantia quadam generis peculiaris, quæ videtur inter oſſeam & petroſam media, qualem nullibi cæteroquin in corpore reperire licet; unde forſitan *Ariſtoteles Hiſt.* XI. ὀςεἰνϰς, *oſſeos* eos vocans, dum denominativo utitur, rem in medio relinquit, licet idem *l.* 2. *de gen. anim.* dentium atque oſſium naturam ſtatuat eandem: quicquid ſit, hoc profectò certum eſt, quod dentes, non ſolum ratione duritiei ſingularis & polituræ, vehementer differant ab aliis oſſibus, verum etiam reſpectù perioſtii & meditullii ſpongioſi, medullarem ſuccum continentis, quibus dentes (loquor de ſtatu naturali in homine) omnino carent: præterea ſimplex magis videtur bractearum, ſive lamellarum ordo in dentibus, quam cæteris oſſibus, ſuntque eædem ſibi mutuo ita nexæ & firmatæ, ut nonniſi exquiſitiſſimis microſcopiis detegi aut diſcerni poſſint: ſunt, fateor, qui duplex lamellarum genus dentibus attribuunt, figura & ſitu diſcrepantium; nempe externas perpendiculariter locatas, & à lateribus ſibi cohærentes ſtatuunt, nullam, niſi quæ extra gingivas apparet, partem tecturas aut cincturas, ſed radicum dentium bracteas cum interioribus eſſe continuas profitentur; quantum ad me, ego nullus dubito, quin & plures fibrarum ordines, tranſverſales, obliqui, rhomboidales &c. prædictis ſint intermixti.

§ 3.

Inſiti ſunt dentes maxillæ utrique omnes, per modum infixionis iſtius, quam græci γόμφωσιν vocant, quaſi latine dicas clavationem vel incuneationem, non enim ſecus alveolis ſuis inhærent, quam parietibus clavi. Infixorum totus ordo dici ſolet

 græ-

græcis φραγμὸς, ſepes, partes autem infixæ gingiviſque circumſeptæ, ῥίζαι, radices; ſed hæc mitto, ut verborum plena, rerum inania.

§. 4.

Numerus dentium non omnibus idem eſt, neque in eadem ætate & ſexu: nonnunquam enim ætate adulta numerare licet duodetriginta, ſive quatuordecim in qualibet maxilla, nonnunquam triginta, imo & hic numerus aliquando augetur ad duos ſupra triginta, cum acceſſu σωφρονιστηρῶν, ſive dentium ſapientiæ; ſed tamen idem ſæpe, luſu naturæ, augetur minuiturve, prout tradit *Plutarchus in Pyrrho*, Rege Epirotarum, qui non niſi os aliquod continuum, vice dentium habuerit; confer. *Valer: Max. lib.* I. *Cap.* VIII. Nec adeo rarum eſt invenire eos, qui dentium geminos in utraque maxilla circumgerunt ordines, quale quid in Timarcho, Nicoclis filio, notavit *Plin. l.* XI. *C.* 37. nec non *Val. Max. l. c.* 90. Triplicem etiam Herculi datam fuiſſe dentium ſeriem, memoriæ traditum eſſe ab Græcis conſtat. Naturaliter, ſive ordinarie, ſeſe habent ſuperiores & inferiores, ad unam & æqualem amuſſim, verum haud raro contingit, ut præter communem, ut dici ſolet, naturæ curſum, varii admodum irregulariter, ſuſque deque protuberent, faciemque defædent.

§. 5.

Dividuntur dentes in primores, qui græcis τομεῖς & διχαστῆρες, tanquam ſectores vel diviſores dici ſolent, 2°. in caninos, quos Vulgus vocat oculares, quatenus incautè evulſi, oculis moleſtiam creant, 3°. in molares, κραντῆρες ſive genuinos, quibus adnumerantur dentes ſapientiæ, qui nonnullis erumpere ſolent poſt annum vigeſimum, quando nempe ſapere magis incipiunt homines. Omnes, maxillæ ſuperioris & inferioris alveolis, ope radicum pauciorum vel plurium inſerti, firmantur, vel potius circumſepiuntur gingivis, quarum ſubſtantia eſt caro ſui generis, oriunda ex membrana oris & perioſteo, quæ in edentulis, parte ſuperiore evadit cartilaginea, fungiturque officio

officio dentium: undiquaque huc excurrunt vaſcula arterioſa ab carotidibus, item nervi â pari quinto, quod Veteribus erat tertium; eorum autem divaricationes ſigillatim hic enumerare ſuperſedeo, præprimis quoniam curſus eorum ludit & variat in diverſis ſubjectis; bina itaque hæc vaſa uno eodemque ordine dum maxillas ingrediuntur, ſpargunt varia variæ magnitudinis filamenta membranacea & vaſcula capillaria per cellulas oſſeas, conficiúntque rete quoddam vaſculoſum, quæ alveolos per varia foraminula ingrediuntur & in ipſis efformant membranam glanduloſam, ex qua oriuntur binæ lamellæ, inſervientes ſecretioni ſucci dentifici, qui videtur eſſe tenacior maximèque glutinoſa ſanguinis pars, duritiei ſuſcipiendæ appropriata. De venis dentium nihil hic addo, quoniam ex arteriis ſolummodo oriuntur ſanguinemque in venam jugularem refundunt. Parum etiam refert memorare undecim illa (duodecim ab aliis enarrantur) ex quibus ſuperior maxilla, partim per harmoniam (ſi foris adſpicis) partim per ſuturam (ſi intus) componitur, item bina alia, ex quibus per ſynchondroſin conſtruitur inferior, quæ poſtea ita coaleſcunt, ut unum ſimplex os repræſentent: ſufficit notasſe, ſpongioſam eſſe utriuſque maxillæ partem inferiorem, medullari ſubſtantia præditam, duriorem autem externam, variaque præter alveolos in ipſis eſſe foramina, viam ſternentia vaſis ſanguiferis & nervis.

§. 6.

Hiſce præmiſſis, aggredior odontalgiam ipſam, quam meo judicio, parum appropriatè vocavit *Strobelbergerus* podagram dentium, quanquam ſimilis eſſe poſſit & podagræ vel cujuſvis alterius arthritidis & odontalgiæ cauſa; Deſcribi poteſt odontalgia, *quod ſit triſtis quædam mentis perceptio, orta á periculo ruptionis vel actuali ruptione fibrillarum nervoſarum membranoſarumque, ad dentes & gingivas excurrentium, aliquando cum ardore gingivarum, & malæ tumore, delirio, febri, convulſionibus, vigiliis perpetuis, ſuppuratione &c. juncta.* Dividitur vero in calidam & frigidam, fixam & vagam, habitualem & accidentalem, idiopathicam & ſympathicam, magis minuſve acutam, cui accenſetur *hæmodia* ſive ſtupor dentium dolorificus.

Siqui-

§. 7.

Siquidem ergo mens hic dolorem suscipit, vel ob ruptionis periculum, vel ruptionem ipsam fibrillarum nervosarum membranosarumque, ad dentes & gingivas excurrentium, necessum erit, ut statuamus proximam sive continentem istius mali causam esse obstructionem pororum, tubulorum atque canaliculorum in parte dolente, â quacunque demum materia crassa, acri, mordente, distendente, gravante sive premente, adeoque lædente; si enim liberè humores per suos canaliculos fluant, sique nulla extrinsecus accedat fibrillarum vasculorumque pressio, certe nunquam ruptionis periculum, aut ruptio aliqua ipsis eveniet; cum autem (uti dictum §. 1. *circa finem)* varient dolores pro diversitate causarum & structuræ, partis affectæ, reliquum erit ut eorum differentias adjungamus.

§. 8.

Nempe salinæ particulæ (sub quibus nunc etiam complector acidas) cum possideant figuram acuminatam, dentatam, complanatam, serratam, consistentiamque admodum rigidam, qualem in instrumentis mechanicis, V. G. cultris, gladiis, acubus, serris, limis, cuneis, &c. cernere licet, certe clarum est, quod, ubi diametris pororum, tubulorum canaliculorumque illæ non respondent, latera fibrillarum nervosarum vellicent, rodant, concutiant, atterant, aliisve modis lædant, præprimis cum urgeant â tergo aliæ particulæ humorum, quæ propter obstructionem factam progredi nesciunt, cumque nulla fere sit corporis pars, quæ, ratione molis, plures magisque tensas possidet fibrillas nervosas, quam dentes & gingivæ, mirum esse non potest, violentam illam motus determinationem vivacius menti communicari, ut dolor oriatur admodum acutus, & quidem cum ardore, quatenus pressione illa & concussione perpetua, fibrillæ seorsim singulæ celerius & vehementius juxta se contremiscunt, præprimis cum materia subtilis per intervalla minima ab salibus hærentibus relicta, velocissimè (exigit enim hoc angustia loci) perruere cogatur: id quod innumeris experimentis; cùm mechanicis, tum chymicis, comprobari & dilucidari poterit, sed quia brevis esse volo, eadem mitto.

§. 9.

§. 9.

Dolor iste nullum conspicuum tumorem conjunctum habet, si materia peccans sit pauca (non enim tam ad quantitatem, quam qualitatem, in doloribus attendendum) item si profunde lateat, si verò eadem longe lateque extendatur, & rarefactionem suscipiat, tumor gingivæ & malæ exsurgit; qui aliquandò, vel naturâ, vel arte dissipatur, aliquandò verò abit in suppurationem, si vascula capillaria rumpantur, lymphamque chylosam in cavitatem factam eructent, hæc enim stagnando transit in pus, quod, cum admodum acre sit, parit erosionem non solum gingivæ, aut partium vicinarum molliorum, verum etiam dentium & maxillæ cariem.

§. 10.

Quomodo idem dolor acerbus producere valeat delirium (nempe spurium) febrim, convulsiones & vigilias perpetuas, nemo non facile percipiet, si attendat ad violentam illam & confusam motus determinationem, quam, ad perceptionem illam mentis tristissimam, suscipiunt spiritus animales, non solum intra cerebrum, verum etiam in musculis cordis aliarumque partium: ruunt nempe spiritus illi agmine incomposito in vestigia cerebro impressa, adeoque nonnisi confusè menti repræsentant imagines rerum, de quibus illa, cum non possit simul & semel judicare, dicitur delirare: ruunt similiter confusè versus omnia nervorum orificia, eademque expandunt, adeo ut vigilia continuetur: ruunt denique fulminis instar versus musculos cordis, sicque rhythmum eorum invertendo, tremores, palpitationes (quas febris comitatur, quoniam eo modo mixtura sanguinis consueta turbatur) producit: & ita pariter idem præstare poterunt in diversarum partium musculis.

§. 11.

Veteres, odontalgiæ causam posuere fluxionem quandam, sive catarrhum acrem à capite ad dentes per nervos; procul dubio, quoniam radiatio doloris exporrigi & elongari sentitur à parte su-

perna ad infernam, id quod nostrates exprimere solent voce **Scheuten en Sinkingen op de Tanden**/ at verò, jam dudum illam rationem enervavit *Schneiderus libro de Catarrhis*, nervorumque tubuli nimis sunt angusti, quam ut crassam aliquam (qualis esse debet causa dolorifica, ut diximus) transmittant materiam; sed causa istius radiationis unice dependet ex continuatione nervorum, qui suscipiunt eandem determinationem motus in loco inferiore introducti, non secus ac chordæ extremitate percussa, totus nexus contremiscit.

§. 12.

Flexiles autem oblongæ, utut tenaces particulæ, cum nequeant tantam fibrillarum tensionem, rosionem, attritionem &c. excitare, quantam priores illæ acuminatæ & rigidæ, quoties poris, tubulis, canaliculisque membranæ nervosæ dentium & gingivarum inhærent, nonnisi gravativum pariunt dolorem, quem nostrates exprimunt voce, **knijsing in de tanden**/ nunquam tamen evenit, ut oblongæ illæ flexiles particulæ rigidis & acuminatis careant, verum ut præ hisce abundent: hoc in casu nullus etiam vel saltim paucus observatur ardor, sed pituitosa saliva, os perpetuo fere implet.

§. 13.

Causæ illæ continentes derivantur ex sanguine male constituto, v.g. quando in eo oberrant multæ particulæ crassæ, rigidæ, salsæ, acidæ, viscosæ, terrestres, &c. quemadmodum in constitutione scorbutica, non potest non fieri, quin earum multæ propellantur versus poros, tubulos, canaliculosque membranæ nervoso-glandulosæ dentium, & ibidem sistantur; præsertim in iis qui arctiorem habent canaliculorum compagem ab ipsa hæreditate, unde cernere licet homines, qui utut laborant scorbuto, vel intemperie quadam alia acri, vel terrestri, ab odontalgia degunt immunes.

§. 14.

Rursus ambas illas causas fovent & nutriunt aliæ externæ, vulgo procatarcticæ & fortuitæ dictæ, quales sunt corporis (speciatim capitis) subitaneæ mutationes à calore in frigus, crassiusculi enim, qui, versus canaliculos angustiores, calore dilatatos, propulsi erant humores, frigore subitaneo retinentur, magisque condensantur: idem puta de aëris insignibus mutationibus, præsertim si acribus turgeat effluviis, quemadmodum potissimum, hic terrarum in locis maritimis; discant vel hinc nostræ virgines caput & pectus melius ab injuriis aëris munire! mirum quantum etiam edulia imprimis fervidè hausta, dentibus non solum colorem piceum aut buxeum, sed & fragilitatem ingentem inferunt, doloremque excitant, quatenus humores in vicinia circulantes glutinosi exsiccantur, fibrillæque abbreviantur & marcescunt, ita quoque acria alimenta, ut allium, sinapi, caseus antiqvus, saccharum, (in quo observavit vermes *Th. Bart. act. Hafn. tom.* 1. *observ.* 54.) & pleraque dulcia, ut-libum Amstelodamense, vel quodvis simile, ficus, uvæ passæ, & id genus plura: etiam verisimile admodum est (quamquam alii id negent, opusque omne tribuunt acrimoniæ) vermiculos cum alimentis ori commissos, vel ovula eorum, circa dentes exclusa, ingentem conferre ad odontalgiam symbolam, dentiumque texturam destruere, præprimis, quoniam id satis superque microscopiis ad oculum evincitur, & experimentis egregiorum virorum *Rhedi*, *Malpighii*, *Leewenhoukii*, & aliorum confirmatur, nec est quod quisquam putet dentium texturam, ut nimis duram & petrosam, eludere debere vim aculeorum istorum insectorum,

Nam leviter quamvis quod crebro tunditur ictu;
Vincitur in longo spatio tamen atque labascit.
Nonne vides etiam guttas in saxa cadenteis
Humoris, longo in spatio pertundere saxa?

ut olim cecinit *Lucret. l. de rer. nat.* usus porro immodicus spiritus vini & petisugii, dentes labefactat; uti dentium immundities culpanda, ita nec laudanda est frequens illa dentium purgatio per dentifricia acidiora, hæc enim non solum dentibus fragilitatem ingentem afferunt, verum etiam fibrillas nervosas solvunt, humoribusque in vicinia circulantibus acorem inferunt dolorificum.

In ſexum muliebrem tantum aliquando exercet ſemen maſculinum, & lunæ phaſis imperium, ut non ſolum genitale arvum turgere faciat & fluere, verum etiam dentes una cum pluribus partibus dolere, id quod quomodo fiat, facile percipiet ille, qui auræ, ſive materiæ ſubtilis efficaciam in determinatis ſubjectis philoſophico ſpeculatus eſt oculo. Denique ſuppreſſiones conſuetarum evacuationum, v. g. alvi, menſium, lochiorum, hæmorrhoidum &c. odontalgiam producere valent, quatenus materia craſſa & acris, quæ alias evacuari per intervalla ſolebat, in corpore retenta diſtribuatur variis corporis partibus, adeoque etiam dentibus. Taceo duriora dentibus confracta, ictum, lapſum, dentiſcalpia ænea, ferrea, quæ communi omnium conſenſu dentes ipſos, cum radicibus nervoſis & gingivis lædunt: clarum etiam ſatis eſſe puto, quomodo in dentitione dolor emergat: tranſeo ergo ad prognoſin.

§. 15.

Dolor dentium (inquit *Tulpius obſ. lib.* 1. *cap.* 36.) quam parvi inexpertis, tam magni fit expertis, idemque & ridetur & defletur: quin imo ſunt qui credant, maximum hoc tormentum ſemper eſſe innoxium; ſed crede, ô Medice! eventibus, & videbis inde non ſemel produci, vel inemendabilem faciei deformitatem, vel certam mortem. Diximus ſupra in definitione, quænam accedere poſſunt odontalgiæ ſymptomata, eaque fuere graviora, quatenus œconomiam animalis vehementer valent turbare; verum dantur & plura, minus principalia: Scilicet reddere ſolet hæc affectio homines edentulos, adeoque ad manducandum, ut & promptè loquendum minus aptos; tranſit aliquando odontalgia in otalgiam, ſive dolorem aurium, propter viciniam partium: producere poteſt maxillæ cariem & ulcus noma: *Hippocrat. ſ.* 3. *aph.* 25. ait, infanti ad dentitionem accedenti, gingivarum ſtimulantes prurigines, febres, convulſiones, & alvi profluvia. Tumor odontalgiæ ſuperveniens, bonum eſt indicium, quatenus indicat materiam peccantem rarefieri, & ex imo ad ſummum diſſipari: gravidarum dolor dentium ordinarie ceſſat circa medium geſtationis tempus, vel poſt partum, ſed poteſt quoque producere

abor-

abortum. Facilius curatur accidentalis quam habitualis, calida periculosior quam frigida.

§. 16.

Curationem odontalgiæ non ubique fore eandem, facile quivis conjecerit ex antecedentibus; quædam autem remediorum ad rem pertinentia, sed breviter proponere decrevi. Corpus itaque si fuerit plethoricum, robustum satis, urgente dolore, & delirio, venæsectionem illico commendarem, graviorum practicorum ratione & experientia ductus, quanquam enim hoc modo mali causam auferri conceptu sit difficillimum, attamen sufficiet dolorem, tanquam urgens symptoma mitigasse: eodem tempore curarem componi sacculos (suppono enim causam peccantem participare de acredine) ex farina hord. sem. lin. papav. albi & hyosciam: qui alternatim externè tam parti affectæ, quam auri & nuchæ erunt calide applicandi: interim os colluatur sequente mixtura.

℞. Aq. hord. ℥ij.
plantag.
solan. ana ℥j.
Sal prunell. ʒj.
Tinct. ros. rubr. ℈iv.
Vitriol. alb. ℈ß.
Laud. op. gr. viij.
M.

Alvus si non respondeat, evacuetur vel clystere vel seq. pill.

℞. Mass. pill. coch. ʒß.
Merc. dulc. gr. viij.
M. F. S. A. Pil. pro dosi.

Similibus pillulis, pro re nata, possunt addi specifica varia, ut olea stillatitia, cephalica, v. g. majoran. lavend. item castor. succin. &c. præsertim ut tanto magis nomen illud vulgare belgicum mereantur, **Hoofd-pillen** / quibus adeo delectatur ignarum vulgus, nescius quomodo similia pluribus partibus affectis mederi valent. Hæc si non juverint, verum ex adverso incrementum sumpserit dolor, illico etiam internè propinanda sunt anodyna, v. g.

℞. Sal saturn. gr. iij.
prun. ℈ß.
Ocul. cancr. ppt. ℈j.
Laud. op. gr. j. vel ij.
M. F. Pulvis vel cum s. q. diasc.

Frac. Bolus.

Nuchæ ut & temporibus imponantur summitates absinthii & hederæ terrestris, cum mica panis secalitii fermentati & sale communi in sartagine lentè exsiccatæ, quæ quantum & hic & & alibi doloribus urgentibus præstare valeant, norunt experti, quibus ego fidem adhibeo: non male etiam temporibus imponitur emplastrum de spermate ceti *Mynsichti*, sed paulo majore, quam fieri solet, parte caphuræ nobilitatum.

Magnam quoque solet hoc in casu efficaciam habere fel vitri cum aceto coctum, si denti dolenti cum linteis carptis vel gossypio admoveatur, ut & caphura cum pauxillo castorei simili modo in aurem immissa. Dens vero si sit cariosus, aut vacillet, modo corona ejus sive summitas suffecerit, extrahendus est quantocyus; vel si nulla arriserit eum extrahendi occasio, cavusque satis fuerit, admoveatur sclopomacherium, sive antitragus candens cannula appropriatâ munitus, quo nervi subjecti ramificationes ita ustulentur, ut violentam motus determinationem ad cerebrum & sensorium commune transferre amplius nequeant: radix pyrethri aceto macerata, dolenti denti admota sæpenumero auxilium ægro tulit maximum, quemadmodum etiam sal commune decrepitatum cum vi in nares attractum; item aqua frigida putealis dentibus, temporibus & nuchæ admota; res autem aliquando exigit, ut scalpello gingivæ solvantur, præprimis ubi dentitionis tempore, supremæ earum fibrillæ cedere nolunt, aut ubi fixius inhæserint alveolis dentis affecti radices; veruntamen cautè ibi procedendum esse moneo; suasurus ut prius oleo amygd. dulc. rec. expr. vel simili alio medicamento pars affecta emolliatur & ad transmissionem dentis subjecti disponatur, quam operatio magis violenta tentatur; multa quidem proferunt nonnulli de medicamentis, dentes fixos soluturis, sed pleraque, si non omnia, sunt vana.

Cariei cum dentis, tum maxillæ, medetur cauterium actuale, vel tinctura euphorbii, item sp. sal. ammon. cum melle rof: &

succo

ſucco cochleariæ junctus, præſertim in iis qui exſpuere acriora neſciunt, quemadmodum infantes, alias ung. Ægyptiacum cum melle roſac. vel hoc ſolum cum olei vitrioli ſ. q. omnem abſolvunt paginam, poſtea vero os eluendum ſp. vini theriacali, vel ſimplici vino rubello aut Tinctura herbæ Theæ fortiori, nobilitata extracto rad. ariſt. rotund. Theriacâ & melle roſac. tumor ſi adfuerit diſcutiatur emplaſtro de meliloto & de ſperm. ceti ana P. æq. vel ſi ad maturationem vergat, detineantur ore ficus, vel adhibeantur cataplaſmata externè ex cæpis ſub cineribus toſtis, contuſis cum ficubus, ol. lin. &c. verum præſtat (ne ſcilicet cicatrix oriatur) ulcus intus aperiri quam extus, apprimè autem curandum eſt, ne reliquiæ puris craſſioris in fundo Apoſtematis ſuperſint, brevi enim ita recrudeſcit malum, pejores excitaturum turbas.

Frigidam quod attinet odontalgiam, ea alio modo erit tractanda, quemadmodum & illa quæ oritur â vermiculis. Nempe adhibenda ſunt aromatica ſub formulis maſticatoriorum ſive apophlegmatiſmorum ex radicibus angel. enul. campan. zedoariæ pyretri aceto maceratis; ſemine ſinapios &c. olea quoque ſtillatitia, ut origani, cariophillorum, macis ſtillat. &c. ope œſypi, ſive lanæ ſuccidæ, vel bombacis, denti admoveantur & auri inſinuentur: gummi juniperinum ſive ſandaracha multis extollitur laudibus, ſi uncia ejus in aceti vini libra. 1. coquatur pro oris collutione: acetum ſcilliticum caſtoreo & caphura nobilitatum, dentibus & auribus admotum, multis profuiſſe novi. huc quoque pertinet petum, ſive tabacum, tum in ſubſtantia, tum infuſo, itidem ſub forma fumi & olei, ita etiam oleum papyri, coryli, buxi, & id genus alia ſuum habent uſum. temporibus imponantur emplaſtra ex gummi elemni, maſtiche, olibano, tacamahacæ, caranna &c. additis oleis ſtillatitiis aromaticis. veſicatorium pone aures locatum, vulgatum quidem, ſed non ignobile remedium; nullumque dubium eſt, quin moxa Indorum, pone aurem, ſimiliter in latere partis dolentis uſta, dolorem ſopire valeat, æque ac in podagra, vel chyragra: taceo hic conſulto ridicula reliqua & ſuperſtitioſa odontalgica; ut talpæ os brachii dextri in pera geſtatum, vel denti dolenti affrictum &c. quorum operandi modum, ſi quis vellet reſpectu effluviorum explicare, rem forte nimis longe peteret. contra vermiculos

dentium

dentium cavitatibus radicibusque inhærentes, valent oleum absyntii, tanaceti, hyperici, nucleorum persicorum, amygdalarum amararum, œsypo vel gossypio excepta, dentibusque applicita, item aqua mercurialis, sive divina Fernelii, vel fiat pasta ex melle, vitello ovi & terebinthina, quæ parti dolenti admota, vermes allicit, huc quoque pertinent amara ut tinct. absyntii, aloës, cardui benedicti, ligni colubrini, myrrhæ, colocyntidis &c. hæc verò dum usurpantur, suadendus simul est usus medicamentorum universalium internorum, intemperiebus corrigendis dicatorum, sed formulas cum variare oporteat, nolo hic longas ducere lineas.

§. 16.

Diætæ regimen, cum nullo negotio deduci possit ex iis quæ supra retuli de causis odontalgiæ procatarcticis, adeoque, quantum possibile, fugiendis, nihil ulterius, nè crambem eandem recoquam, adnectam, nisi quód ritè indies purgari debeant dentes, & os elui. interim ego cum *Martiale*.

cœnæ fercula nostræ

Malim convivis, quam placuisse cocis.

F I N I S.

